

DISSERTATIONIS ACADEMICÆ

Vitam & Merita M. ISAACI B.

ROTHOVII,

Episcopi q. Aboënsis,

Exposituræ

Particulam VII:am

Consensu Facult. Theol. in Reg. Acad. Ab.

Publicæ disquisitioni subjiciunt

Mag. JACOBUS TENGSTRÖM.

S. S. Theol. D. & Prof. Reg. & Ord.

& Respondens

JACOBUS JOHANNES BJSÖRKSTEN.

Stip. Segercranz, Tavastia-Fenno.

In Auditorio Majori die 29. Novembr, 1800.

(*Horis a. m. consuetis.*

A B O Æ

In Officina FRENCKELIANA

THESES RESPONDENTIS.

Thes. I.

Cum sine notione Superioris Lex ne cogitari quidem possit, vana certe luduntur opinione, qui & Religionem & Doctrinam Morum, seposita quamvis Summi Numinis consideratione, ita adornari & menti humane informari posse existimant, ut validam satis obligandi vim eidem injiciant. Nam si vel largiamur inesse in nobis sensum quendam recti & honesti, lege nobis cognita omnino priorem, adeoque Legislatoris exentum arbitrio, ea tamen haud pollet auctoritate & imperandi vi, ut hominibus, rerum sensualium & pravarum cupiditatum detentis servitio, asensum & reverentiam extorquere valeat.

Thes. II. Pro summo itaque Dei agnoscendum beneficio, quod non solum per Rationem & universam rerum Naturam, verum etiam clarius multo & solemnus per Revelationem, se supremum æque ac sanctissimum Legis Moralis Statorem & Vindicem nobis manifestaverit, ejus itaque præceptis perfectam & illibatam nos præstare oportet obedientiam, & a cujus æquisimo arbitrio olim pendebit, qualis fors nostra, felixne an infelix, prout quisque eam meruerit, futura sit.

Thes. III. Quamvis vero jam dudum innotuerit nobis, ex bonitate summi Numinis paternali & infinita, accurata eorum notitia, quæ bona, quæ mala, quænam nobis vel agenda vel omittenda sint; dolendum tamen, esse animos mortalium & hebetes adeo in his præceptis Divinis cognoscendis, & ab illis exsequendis averfos, ut de Lege accurate observata nemini nostrum gloriari liceat; quin potius cuique cum Davide ingemiscendum sit: *Singuli, pro scelus! descerrunt, ut non sit qui recte faciat, ne unus quidem.* Ps. XIV: 3.

Thes. IV. Est ergo nobis, deploranda hacce morali calamitate & culpa onustus, summo solatio, quod nostri adeo misertus sit optimus & indulgentissimus coelestis Pater, ut filium suum JESUM CHRISTUM in mundum ad nos e culpa & servitute peccati passione & morte sua redimendos miserit, quo Fide in ipsum e miseria nostra emergere, & nova Christiana obedientia atque pietate ei denuo placere possimus.

Thes. V. Tantum tamen abest ut vel regeniti Dei filii Legem perfecte servare queant, ut potius & ipsi cum Paulo queri necesse habeant: *Delector Lege Dei, quod ad interiorem hominem attinet; sed aliam video Legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, quæ me captivum reddat legi vitiositatis, quæ lex est in membris meis.* Miser ego homo! quis me ad hujus mortis corpore liberet Rom. VII: 23, 24,

fol. r. supra laudati Voluminis *Aetorum Confessorii Ecclesiast. Aboensis* antiquissimi, b. *Rothovii* cura sine dubio collecti, cui & haud pauca industriæ suæ inseruit sua manu exarata monumenta. Et cum L. B. *Nic: Bjelke* jam a. 1633 provincia sua heic loci decederet, vel hinc patet jam ante hunc annum prodixisse dictas *Constitutiones*, quarum nonnullas in oris nostris adhuc usque vigere comperimus. Prodent satis superque Præfulem & prudentem, & ordinis decorisque studiosissimum, cui Ecclesiarum animarumque salus præprimis curæ cordique erat; commonstrando simul qualis tum apud nostrates fuerit tunc morum quam Religionis & cultus publici ratio, e. g. Cationibus Latinis adhuc abundasse publica Religionis exercitia — nemini, qui *Lutheri* Catechismum nondum didicerat, licuisse S. Baptismi testem se sistere, neque matrimonium inire — Examina annua Catechetica (*Läsmböten*) in Templis, nondum vero eundo per pagos & villas, peracta fuisse — non licuisse pecunias a S. Coenæ convivis exposcere — abstinendum fuisse cibo & potu illis qui Tempora festis diebus adire meditentur; & quæ sunt cetera.

Aliam, eamque uberiolem *Constitutionum* seriem, XLV. ejusdem quidem generis, attamen diversi hic

N

ib

gärandes ädmjukeligen at den Vålb. Herren Gubernator Fintlandie ville them öfversee, förbättra, och sua illustri auctoritate stadfästa och confirmera.

ibi argumenti, aliisque plane verbis consignatas regulas continentem, hocce titulo: *Constitutiones Pastoribus in Dioecesi Aboensi traditæ*, Auctor ipse jam publici juris fecerat, (4 foll. 4:o) quamvis nec de anno nec loco impressionis certi quid nobis constet. (*)

Est utraque hæcce *Constitutionum Collectio Svezthica* lingua exarata. Tertia vero in prædictis Actis *Consistio sive Ecclesiastici Ab.* itidem obvia, typisque nondum evulgata, *Fennico*, quamvis inepte satis atque inculte, confecta est idiomate, xxvii placita continet, plebisque rudioris usibus inprimis destinata videtur. Cum vero nec clausula quadam s. epilogo, nec subscripto Episcopi nomine, munitum sit hoc unicum harum *Constitutionum Fennicarum* nobis quidem cognitum exemplar, nescio an fragmenti instar, an pro opere omnibus numeris absoluto, habendum sit? Confirmantur in hac sylloge priores illæ *Constitutiones*, quarum quasi synopsis exhibet, paucis solummodo additis novis præceptis & animadversionibus tam in Doctorum quam Auditorum incitiam atque mores improbos, quas vero sigillatim atque pluribus recensere locus prohibet.

Sed præter hæc pro temporum ratione apta omnino atque laudabilia, quæ Ecclesiis suæ commis-
fis

*) Denuo impresas eas haud dudum edidit de Ecclesia nostra meritisimus, eidem vero præmatura & inopinata morte eheu jam ereptus Rev. Ep. *Wallqvist* in *Eccles. Saml.* 2. Fl. p. 226 seqq.

sis curæ & inspectioni tulerat Noster statuta, super-
 sunt & alia neque minus memorabilia solertiæ & in-
 dustriæ *Rothovianæ* monumenta, quorum nonnulla,
 quæ inprimis commonstrare videntur, quo indefesso
 & sapienti studio Dioeceseos & Ministerii *Aboensis*
 commodis promovendis invigilaverit, qualisque fue-
 rit tum temporis rerum nostrarum status atque con-
 ditio, integra ex actis tam publicis quam privatis,
 quotquot reperire potui, apponam; reliquorum, quæ
 res vel cuique satis notas vel minoris omnino mo-
 menti attigerint, brevem tantummodo summam ex-
 hibiturus.

Prostant ex hoc monumentorum genere haud
 paucæ *Litteræ* sic dictæ *Circularès*, quas ad Clerum
 suæ Dioeceseos de variis & ad Rempublicam & Ec-
 clesiam spectantibus rebus ex officio dederat, qua-
 rum quæ nobis innotuere antiquissimæ, quasque jam
 in antecedentibus (pag. 17.) paucis excitavimus,
 sunt quæ sequuntur:

"ISAACUS ROTHOVIVS, per voluntatem Dei
 "Episcopus Aboënsis, Venerabilibus D. Præpo-
 "sitis & Pastoribus Dioecesanis salutem precor!

"Præteritus ac præsens dulcissimæ nostræ pa-
 "triæ status, Viri Reverendi, Fratres dilecti, satis
 "superque testatur, Deum omnis iniquitatis vindicem
 "æquisimum, nos annis jam multis, ob multipli-
 "cem peccatorum nostrorum atrocitatem variis poe-
 "nis

nis visitasse, hodieque visitare, nec desistere ante-
 quam serio resipiscamus, ac poenitenti corde ad ip-
 sum convertimur. Quis enim nostrum est, qui non
 novit patriam nostram dulcissimam bello *Musco-*
vitico, Danico &c. ita esse debilitatam, exhaustam,
 & incolas omnes multiplici felicitate spoliatos, ut
 vere cum Propheta ingemiscere possimus: *Vigila-*
vit jugum pravaricationum mearum, in manu ejus con-
voluta sunt, & imposita collo meo; infirmata est vir-
tus mea. Justus est Dominus, quia os ejus ad iracun-
diam provocavi Thren. I. 14, 18.; imo, si prævarica-
 tiones nostras cum poenæ gravitate contulerimus,
 merito cum *Jeremia* dicamus: *Misericordia Domi-*
ni, quod non consumti sumus, Thren. III. 22. Si
 namque penes hostem esset potestas, jamdudum so-
 lo nos æquaret, funditus everteret & annihilaret,
 Religionem sanctissimam corrumpere, justiciam &
 æquitatem in tyrannidem abominabilem mutaret,
 Scholas & Ecclesias destrueret, ac in summa: o-
 mnibus bonis nos privaret, totique mundo exhibi-
 landos propinaret. Quod autem hostium intentio-
 ni eventus non responderit, id totum Divinæ bo-
 nitati & clementiæ unice adscribendum erit, qui
 mediante cura multiplici, vigiliis ac laboribus im-
 mensis Serenissimi ac Potentissimi *Dni, Dni GU-*
STAVI ADOLPHI, Svecorum, Gothorum, Van-
dalorumque &c. Regis ac *Dni nostri Clementisssi-*
mi, conatus hostium impedivit, omnem victoriæ
 spem

"spem & fiduciam eis præripuit, vires fregit, castra
 "& ditiones ademit, sibi que populos subiecit, tan-
 "tumque hostem superbissimum, brachio Imperato-
 "ris, Regis Hispaniarum alicrumque Principum vir-
 "tute thrasonice sese effrentem, ad media pacis ac in-
 "duciarum quærenda, Divina gratia feliciter coëgit.
 "Sed ecce: hac plaga vix sopita, duæ aliæ non mi-
 "nus graves nos, miseros peccatores invaserunt, *pe-*
 "*stis* nimirum ac *fames*; quarum *hæc* totam fere pa-
 "triam occupavit, suamque originem non modo ex
 "terræ sterilitate, sed etjam navigationum, difficulta-
 "te videtur traxisse; *illa* vero ex castris militum in-
 "varios non modo Sveciæ, sed etjam Finlandiæ no-
 "stræ charissimæ angulos disseminata apparet. Ve-
 "rum si rem recte perpenderit, hæc & alia ma-
 "la, undecunque causari & originem ducere videan-
 "tur, nil aliud sunt quam plagæ divinitus regno
 "peccanti & genti ac populo rebeli immisæ; *non*
 "*est enim malum in Civitate, quod Dominus non fecit,*
 "Amos III. 6. *Et quis est qui dixerit hoc fieri Domi-*
 "*no non jubente? Ex ore Altissimi egredientur nec ma-*
 "*la, nec bona?* Thren. III. 37, 38. Sic namque di-
 "cit Deus: *Dedi vobis stuporem dentium in cunctis ur-*
 "*bibus vestris, & indigentiam panum in omnibus locis*
 "*vestris, & non estis reversi ad me, dicit Dominus;*
 "*Misi in vos mortem in via Ægypti &c.* Amos IV.
 "6, 7, 10. (Legatur totum illud Caput!) Quid er-
 "go faciemus? Consilium nobis suppeditat: S S: a per



"os *Jeremice: Scrutemur vias nostras & quæramus,*
 " & *revertamur ad Dominum! Levemus corda nostra*
 " *cum manibus ad Dominum in Coelos! Nos inique egi-*
 " *mus & ad iracundiam provocavimus, idcirco tu in-*
 " *exorabilis es. Thren. III. 40 — 42. Cognovimus*
 " *Domine iniquitates nostras, iniquitates patrum nostro-*
 " *rum, quia peccavimus Tibi; ne des nos in opprobri-*
 " *um propter nomen tuum! Jer. XIV: 20.*

"Nostrum itaque erit *primo:* nos ipsos corrige-
 "re, vitam propriam emendare. *Secundo:* sedulo hor-
 "tari nostros Auditores ad poenitentiam, idque sine
 "intermissione, scimus enim populum valde esse se-
 "curum & præfractum. *Tertio:* in specie monendi
 "Auditores vestri, ut frequenter poenitenti corde con-
 "veniant ad usum S. Coenæ in Templis. *Quarto:*
 "monete vestros Auditores ad vota Domino voven-
 "da, alendos pauperes, juvandos Studiosos, & alia
 "bona opera, ante omnia ad vitæ emendationem,
 "obedientiam Deo, Magistratui & Ministerio præ-
 "standam. *Quinto:* si contigerit, ut aliquis Audito-
 "rum vestrorum morbo pestilentiali correptus Pa-
 "storem vel Diaconum vocaverit, omnino eritis pa-
 "rati & prompti ad visitandum vestros Auditores,
 "modo velitis Pastores, & non mercenarii salutari.
 "Vobis insuper officii ratione injungitur, ut id i-
 "psum præstetes. Secus qui fecerit, ipso facto se
 "ab officio & beneficio *removet. In Christo Valet!*
 "Chri-

“Christus Jesus Vos & totam Ecclesiam tueatur! A.
 “bogiæ d. 21 Octobr. a. 1629.

ISAACUS ROTHOVIVS.

Aboensis.

Patet ex hocce, speciminis quasi loco jam allato scripto, quænam fuerit *Rothovii* nostri in rebus ad Religionem pertinentibus cogitandi & sentiendi ratio, quo serio veræ Religionis & Pietatis promovendæ studio flagraverit, quaque in animi sensis exprimendis dicendi facultate valuerit; præter quam quod & hinc simul appareat, quam tristis ac deploranda ea tempestate tam Reipublicæ quam Ecclesiæ nostræ se nobis offerat facies, quamque funesta ac civibus calamitosa fuerint tempora, quæ tamen in annalibus Patriæ celebrari solent tot exercituum nostrorum victoriis & rebus fortiter gestis præclara atque insignia!

Suppeditabant interea hæ victoriæ afflictis patriæ incolis occasiones haud raras solemnes instituendi gratiarum actiones laudesque decantandi Altissimi; ad quos itaque dies festos pie obeundos Episcopi tum temporis pro officii ratione Dioecesanos suos publicis scriptionibus excitare solebant; quem in finem & *Rothovium* Litteras quasdam suasorias ad Clerum Fennicum dedisse ex Actis comperimus, e
 qui-

quibus exempli gratia hic prostabunt, quibus ad memoriam victoriæ *Lipsiensis*, d. 7 Sept. a. 1631 reportatæ, qua decuit religione, celebrandam Pastores & Ecclesiarum Ministros reliquos hunc in modum exhortatus est:

“Viri Reverendi, Præpositi, Pastores & Ecclesiarum amplissimæ Dioeceseos nostræ, imo totius Magni Ducatus Finlandiæ, Verbi Divini præcones fidelissimi, Fratres in Christo dilecti!

“Confitemini Domino! Nota facite opera ejus!
 “Recordamini nominis excelsi! Cantate nobiscum!
 “Exsultate lætitia! Triumphate gaudio una cum totius amplissimi Regni Sveciæ incolis fidelibus! Annunciate in universa terra, quoniam magnifica fecit, & in medio nostri, Sanctus Israelis! Novimus omnes quam arcto nequitiae vinculo inimici nostri, imo hostes ipsius Dei, sese colligarunt, quanto conamine tentarunt hodieque tentant, sanctam illam Civitatem, Ecclesiam videlicet Evangelicam, aggredi, quibus etiam machinis eidem sese præteritis annis opposuerunt. Nec vos latet quam thraconice de suis viribus, potentia & animi fortitudine gloriati sint, non aliter atque loricator ille & terribilis *Goliathus* adversus Davidem & totam Ecclesiam Israëliticam. Verum qui habitat in coelis irrisit, & Dominus subsannavit eos, locutus est ad eos in ira
 “sua

"sua, & in indignatione sua terruit eos, ne scirent
 "non esse consilium vel sapientiam adversus Domi-
 "num. Dominus stans a dextris Regis & exercitus
 "nostri, dixit ad eos: inite consilium & dissipabitur;
 "loquimini verbum & non fiet, quia nobiscum Deus.
 "Hostes nostri cisternam foderunt, & effoderunt eam,
 "& inciderunt in foveam, quam operati sunt. Nam
 "post multas deprædicandas victorias S. R. M:ti Po-
 "tentissimo *Domino D. GUSTAVO ADOLPHO, Sve-*
 "corum, Gothorum, Vandalorumque Regi Christia-
 "nissimo, Domino nostro Clementissimo, adversus i-
 "nimos crucis Christi, in hac illustri expeditione
 "concessas, ecce tandem in campo Saxonico, non
 "procul a Civitate Lipsiensi, ubi gloriosus ille Thra-
 "co *Johannes Tilly*, cum universis copiis armatus &
 "ad bellum paratus constitit, Dominus Zebaoth po-
 "tens in prælio, per S. R. M:tem, Dominum no-
 "strum Clementissimum, suæque M:ris exercitum ge-
 "nerosissimum, animum & vires hujus *Rabsacæ* (2 Reg.
 "xviii. 17) in momento ita infregit ac deturbavit,
 "ut cæsis uno die, videlicet 7 Sept. circiter 14000
 "hostium, multis item captivis & in castella abdu-
 "ctis, terga sua fugæ dare sit coactus. Unde ter-
 "ror panicus hostes invasit & gloriandi libidinem i-
 "psis magnifice præripuit. Hinc cum Davide cogno-
 "vimus quoniam salvum fecit Dominus Christum su-
 "um. Hi in curribus, hi in equis, nos autem in
 "nomine Domini Dei nostri invocavimus; illis cæ-
 "sis

"sis nos surreximus. Hoc immensum Dei benefici-
 "um memori mente tenendum, filiis filiorum incul-
 "candum, promulgandum in populo, & ad posteros
 "magna *δοξολογία* transmittendum. Quod cum ita
 "sit, vos singulos & universos hortor & moneo, ut
 "juxta pium mandatum Generosi ac Illustris Domi-
 "ni Gubernatoris nostri, Domini *Gabrielis Benedicti*
 "*Oxenstierna*, Regni Senatoris Amplissimi, Liberi Ba-
 "ronis in Mórby &c. &c. in singulis Ecclesiis, quam-
 "primum hæc epistola vobis allata fuerit, solemnem
 "instituat is gratiarum actionem, excitando vestros
 "Auditores ad devotionem & humilem gratitudinem.
 "Intoneat nobiscum ex *Mose*: *Dextera tua magni-*
 "*ficata est in fortitudine; dextera tua Domine per-*
 "*cusfit inimicum, & in multitudine gratiæ tuæ de-*
 "*posuisti adversarios nostros. Misisti iram tuam, quæ*
 "*turbavit eos sicut stipulam. Dixit inimicus: per-*
 "*sequar & comprehendam, dividam spolia, implebi-*
 "*tur anima mea, evaginabo gladium meum, inter-*
 "*ficiet eos manus mea. Flavuit spiritus tuus, & o-*
 "*peruit eos mare. Quis similis Tui in fortibus, Do-*
 "*mine? Quis similis tui, magnificus in sanctitate,*
 "*terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia? Ex-*
 "*tendisti manum tuam, & devoravit eos terra. O-*
 "*remus etjam una cum omnibus nostris Auditori-*
 "*bus, imò totius Regni incolis, ut Deus t. o. m.*
 "*Regi ac Patriæ nostræ adsit sua divina gratia, pro-*
 "*sternat hostes, irruat super eos formido & pavor*
 "in

"in magnitudine brachii tui, Domine! Fiant immo-
 "biles sicut lapis, donec pertranseat populus tuus,
 "Domine! Has & alias triumphi formulas ex Mo-
 "se, Psalmis & Prophetis producentes, nos ipsos &
 "universum populum nostræ fidei & institutioni com-
 "missum, ad laudes Dei excitamus, magna spe ac
 "fiducia in *Michaelem*, magnum Ducem exercitus no-
 "stri, confidentes, quod porro etiam Clementissimo
 "Regi, exercitui ac toti patriæ non sit defuturus!
 "Tibi Domine Jesu, cum Patre & Sp. Sancto, gloria
 "& laus perennis! Amen. In Christo Valet! Abo-
 "giæ d. 24 Octobr. 1631.

ISAACUS ROTHOVIVS.

Sed ad seculi genium moresque tam Laicis
 quam Clericis ejus ævi maxime familiares peni-
 tius cognoscendos, & *Rothovii* in illis reformandis
 impigra studia accuratius æstimanda, cum inter alia
 faciant etiam sequentia Clero Aboensi lata a. 1632
 a cordato & sapienti Præsule statuta, ea ex anti-
 quisimo monumentorum *Consistorii Ecclesiastici! Ab.*
 Volumine verbotenus exscripta, ceteris, quæ supra
 pag. 95 seqq. commemoravimus, piæ ejus & alacris
 diligentia documentis addere liceat: (*)

O 2

"ISAA-

*) Quis Sacellanis suæ Dioeceseos d. 26. Jan. a. 1643 &
 d. 3 Junii a. 1649 præscriperat accuratas & severas vitæ
 officiorumque regulas, exhibent *Abo Tidn.* a. 1785 pag. g
 121 & 141, quas itaque, quamvis lectu & dignas & ju-
 cundas, typis denuo edere pro supervacaneo habemus.

“ISAACUS ROTHOVIVS Ministerio Aboensī cete-
 “risque Verbi Divini Præconibus, quibus hanc
 “chartam inspiciere contigerit, salutem precatur.

“Quemadmodum *Baruch*, Filius *Neris*, *Jeremiæ*
 “servi Domini Amanuensis fidelissimus, jubente Do-
 “mino Deo & dictante Propheta, scripsit alium li-
 “brum, postquam *Joachim* Rex *Juda* priorem com-
 “buserat, multoque plura quam prioribus addidit; ita
 “Spiritus Sanctus mihi suggerit, ut & Ego, Mini-
 “ster Domini, aliam epistolam Vobis scribam, post-
 “quam priorem, valvis Sacræ Ædis affixam, homo
 “diabolicus impudentiæ suæ carnibus avellere non
 “est veritus. Volui & plura verba hiuc inferre, ut
 “doceantur pii non modo gratias agendas Deo pro
 “salutaribus commonefactionibus, easque grata men-
 “te agnoscant, sed & memores sint qualem gratiam
 “mundus solet reponere paternis & salutaribus in-
 “stitutionibus, imo qui in errore adhuc hærent, di-
 “scant coeptis desistere. Cum videam magnam o-
 “scitantiam & deplorandam quorundam vestrum ne-
 “gligentiam, tum in Sacris administrandis, tum &
 “frequentandis, unde plurimi Auditorum offendun-
 “tur, Ministerium risui ac ludibrio multorum expo-
 “nitur, & Ecclesiæ Dei damnum infertur non mi-
 “nimum; ideo sequentes regulas ex Verbo Dei, li-
 “bellis Conciliorum, Ordinantia Ecclesiastica, aliis-
 “que piis Constitutionibus depromptas, Vobis ob o-
 “culos ponimus:

¶. Si



“I. Si quis Ministrorum Verbi in Civitate vi-
“vens sub summa Misfa diebus Dominicis vel Fe-
“stis, sine evidenti impedimento, abfuerit e Templo,
“solvet *prima vice* Thalerum, *secunda* in carcere 8
“dies detrudetur, *tertia*, officio & beneficio privabi-
“tur, aliasque locum ejus occupabit.

“II. Si a precibus vespertinis abfuerit, dimidi-
“um prænominatæ poenæ subibit. Si die profesto
“concionem & preces neglexerit, solvet 8 solidos.

“III. Si quis contra gravissimam Jesu Christi in-
“hibitionem absolverit, & ad usum S. Coenæ admi-
“serit, manifeste impios in peccatis adhuc viventes,
“vel infames, qui sese nondum purgarunt & poeni-
“tentiam egerunt, is in perpetuum ab officio remo-
“vebitur. Quemadmodum enim vita, ita Sacramen-
“tum Coenæ debet sanctissime administrari, & ca-
“vendum est hic Pastori ne communicet peccatis a-
“lienis. Qui nam Pastor adultero, litigioso, male-
“dico, blasphemò, obsceno, aut alias inhoneste & non
“ut dignum est Evangelio viventi, porrigit S. Coe-
“nam, is corpus & sanguinem Jesu Christi, nobilis-
“simam Ecclesiæ margaritam, suis & canibus in
“contumeliam Filii Dei objicit, quo scelere nullum
“est gravius. *Chrysostronus* dicit se potius corpus
“suum daturum lacerandum turpissimis modis, quam
“ut sciens & volens velit corpus & sanguinem Do-

“mini porrigere flagitioso homini absque pœniten-
 “tia viventi. Hoc namque pacto manifesta contu-
 “melia fit Filio Dei, & quidem major, quam cum
 “cæderetur alapis & in faciem ejus exspueretur,
 “augetur ejusmodi hominis peccatum, judicium &
 “condemnatio, multi pii scandalizantur ac deterio-
 “res fiunt, regnum Christi paulatim evertitur, &c.

“iv. Missam qui celebrant, caute & prudenter
 “id faciant, præcise observantes ea, quæ in *Ordi-*
 “*nantia Ecclesiastica* comprehensa sunt pag. 37, 38 us-
 “que ad 40. Imo semel vel bis in anno cum judi-
 “cio evolvant totam *Ordinantiam Ecclesiasticam*, pro-
 “ut multoties monuimus.

“v. In concionibus & precum quotidianarum
 “recitatione, non pudeat juniores sese applicare ad
 “modum doctiorum seniorum & gravissimorum Vi-
 “rorum, quos si imitati fuerint, & *Ordinantiam Ec-*
 “*clesiasticam* sibi ob oculos posuerint, brevi tempore
 “mare illud scandalorum Ecclesiæ exsiccabitur. Plu-
 “ra deinceps. Valetè! Abogixæ d. 21 Aprilis 1632.

ISAACUS ROTHUVIUS.

Ipsum vero in Disciplina constituenda Eccle-
 siastica, ceterisque quæ ad florem Ecclesiæ & Di-
 oecefeos promovendum facere intellexerat, non sua
 sola auctoritate egisse ac statuisse, verum etiam
 “in

in ambiguis expediendis rebus novisque inferendis legibus desideria & consilia sua ad supremum Regni Magistratum detulisse, quo ejus munitus nutu decretisque, eo feliciori successu quæ bono publico inservitura judicaverat ad effectum adduceret, vel ex sequenti responso & edicto Regio in promptu est ad intelligendum. (*)

“Hennes Kongl. Maj:ts Nådiga Svar och Förklaringh på dee Puncter Bispen i Åboo, Vyrddige Mester *Isack* underdånigst hafver ingifva låtit. Actum Stockholm d. 5 Julii 1636.

“I. Såsom Biskopen vyrddige M:r. *Isack* i underdånighet begärer, at honom motte effter sin Fullmachts

*) Superest in Codice sæpius nobis laudato vetustissimo *Actorum Capituli Aboensis* fol. 32 apographon quoddam Responſi hujus Regii; cum vero non omnino conveniat cum autographo ejusdem scripti in Archivo Regni (*Reg. a. 1636 fol. 437 vers.*) servato, huic præ illo jure fidentium esse putavimus, adeoque hinc desumptum iam luci publicæ tradimus, addita observatione: momenta, quæ nos jam exhibemus, I. num & VI. tum, in illo desiderari, additum vero esse eidem VI. ti momenti loco, aliud in autographo non obvium, hujus scil. argumenti: *At de 2 Preste Enkior, som begera frjibeet på dee Hemman, som deras Mån buffue til sigb bandlatt, så år tilbørligitt och Kyrkioordningen lijkmatigt, at dee niutba et åbrs nådeåbr på gellen effter sine Sal. måns dødelige fränz*

"machts lydelse effterlätas, det alle de Bönder och
 "Byar i b:te Stifft, som äre vidt belagne ifrån sine
 "egne Sockne Kyrkor, och liggia närmare andre
 "Kyrkor, motte höra under den Kyrkan och *Pa-*
 "*store*, som dee äre närmast til, och att dee aflagne
 "Capellen medh en seerdeles *Pastore* blifva förförg-
 "de; Så emedhan denna Förordningh, utan en no-
 "ga ransakan om Sochnens beskaffenheet, icke väl
 "kan skee; Ty vill Hennes K. M:t sigh nådigst haf-
 "va refererat på den *General Revision*, som medh det
 "snaraste skall ställas i värdet, då detta, så väl som
 "allt annat, bäst blifver rättadt och corrigeradt *).

"2. At Adelen i landet måge medh sit folck
 "sigh inställa i deras Sochne Kyrkor under *Examén*,
 "som holles i *Visitationerne*; Så oansedt Adelen för
 "det

*fälle; men buadb frijheet för utblagorna vidbkommer,
 kunna dee effter denne tijabz beskaffenheet icke meer än
 andre undandrage sigh off hemmanen Cronan des be-
 börige utblagor åbrligen at utbgöra. Datum ut supra.*

*) Promissum hocce neque effectu caruisse comprobant Lit-
 teræ Regiæ d. 18 Oct. a. 1638 ad Senatorem Regni &
 Gubernatorem Generalem Finlandiæ Dn. Comitem *Pe-*
trum Brabe Holmiæ datæ, angående nödig förbättring
 i visse angelagne delar af den Landsortens police och
 Husbällning, typis editæ in *Åbo Tidn.* a. 1782 pag. 20
 seqq. in quibus inter alia hæcce occurrunt: *Elljest om*
Kyrkiorne äro vij medb Eder eense, dem utbi ett så vidt